

DISSE^LAT^O ACADEMICA^E

DE

SIGNIFICATIONE VOCIS סילֵה.

Quam

Venia Ampl. Facult. Philos. Aboëns.

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERUNT

GABRIEL HIRN,

Philos. Magister, Stip. Bilmark. & Vicarius.

Collega Scholæ Catbedr. Aboëns.

ET

FRIDERICUS EMANUEL DICKMAN,

Stip. Regius.

Tavastenses.

In Aud. Physico die XVIII Febr. MDCCCVII.

H. s. m. c.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.



§. I.

Artium, quæ orbi innotuere antiquo, habitum, nostris temporibus bene satis non esse explicatum & cognitum, magnumque inde in scriptis Veterum explicandis, Interpreti redundare incommodum, omnes, qui volumina Priscorum diligentí versarint manus; in primis vero, qui suam in Sacro V. Testamenti Codice interpretando collocarint operam, facile dabunt. Si vero illa alia ars, cuius penitior adhuc desideratur cognitio, certe Musica Hebræorum hue referenda est. Satis enim loquuntur Psalmi Davidis, alia ut taceamus Hebræorum oracula, plerimas in iisdem ad artem Hebræorum tonicam spectantes allusiones, terminos artis technicos, immo nomina Instrumentorum Musicorum, quæ magnam Lectori facessunt temoram, aut omne prorsus respununt interpretandi periculum, occurtere (a). Inter alia vero hujus generis vocabula

A

cam

(a) Exempli loco sint vocabula שָׁרֶשׁ, נְחִילָה, גַּתִּית, גַּתִּים, &c.

em **הַלְׁלָה** illud, in Odis Davidicis septuagesies semel, & ter in Elegia Habacuci recurrens, maximis, neque haec tenus quidem decisis, locum dederit controversiis; Lectoribus haud ingratum fore judicavimus, si præcipuas Interpretum de hac ad Musicam certe referenda voce sententias, Specimine hocce Academico recensitas & pro virili castigatas proposuerimus: Mitiorem L. B. censuram eo certius, quod in usu vocbuli definiendo vel sagacissimi hæreant & inter se disideant viri, nobis spondentes.

§. II.

Antiqui Interpretes, quibus consentientibus alias maxima habenda est fides, in voce **הַלְׁלָה** explicanda, sibi non constant. *LXX* vertit per *διάφανα*, quod quidem vocabulum, largam adeo (ut §. lequenti videbimus) Interpretibus litigandi præbuit materiam, ut adhuc sub judice his sit, quid voce ista significatum voluerit. *AQUILA* vero vertit per *αν*, *semper*, sibique consentientes habet *SYMMACHUM* *εἰς τὸν αἰώνα, in eternum, THEODOTIONEM εἰς τέλος,* *in finem, & CHALDÆUM זִמְרֵי עַלְמָן* *לעֲמָן in secula seculorum τοῦ סלה transferentes.* Sed si vel maxime concéderatur, notionem *perpetuitatis*, quibusdam in locis contextui minime esse inimicam; negari tamen ex altera parte non poterit, sensum plurimis locis, maxime impeditum, ut ex. gr. *Pj. LXXXI. 18, Habac. III. 3, &c., imo absconum, ut ex. gr.* *Pj.*

Pf. IV. 5, XXXII. 4, 7, LXVIII. 8. &c. hac admissa interpretatione oriri. Unde quoque probabile est, AQUILAM, ceterosque eandem interpretandi viam ingressos Interpretes, e falsa & temporis lapsu forsan detrita lectione, suam hausisse metaphrasin. Alias enim & si vox נָלַב idem significaret ac *semper*, nulla idonea afferi poterit causa, cur aliis in libris V. Testamenti quam in Psalmis & in Elegia Habacuci non reperiatur? cum tamen idea *perpetuitatis*, saepissime his in libris recurrat.

§. III.

Patrum vero Ecclesiasticorum plerique, versionem Alexandrinam secuti, vocem διαψαλμα varie explicant.

GREGORIUS NYSSENUS (b) de hac voce ita commentatur: Χρι δὲ μιδὲ το διαψαλμα παραδραμεν
αθεωριτον τοις μεν διν πρὸ ιμαν μεταβολην του νοικατος,
η προσωπου η πράγματος, σημαίνειν ἐνομίζει το δια-
ψαλμα ιμεις δε τας τε των πατέρων ὑπολιψεις ουκ
αποβάλλομεν, καὶ τε ται παρ ἔαυτων ἐννοησαι, πρὸς
την του βιτου τούτου σημασίαν, ου καταχυπομεν τοι-
αυτην διν την του διαψαλματος κατελάβομεν την δια-

(b) Tomi I. Tract. II. in Pf. Capr X. p. 319. &c. Edit.
Morelli Paris. MDCXV.

νοιαν, ὅτι προϊούσης κατὰ τὸ ἀκόλουθον τῆς Φαλιμωδίας,
 ἢ τις ἐγείρετο μεταξὺ προφίτευοντος τοῦ Δαβὶδ, ἐτέρη
 τοῦ ἀγίου πνεύματος ἔλλαμψις, καὶ προεσθήκη τις κατὰ
 τὴν γυναικὸν χαρισμάτος, ἐπ’ αὐτεῖς τῶν δεχομένων
 την προφίτειαν ἐπέχων ἑαυτοῦ την Φωνήν, καὶ τὸν την
 διανοίᾳ δέξασθαι τῶν νοημάτων την γυναικὸν τῶν γνο-
 μένων ἐν αὐτῷ παρὰ τῆς θείας ἔλλαμψεως καὶ ὥσπερ
 πολλάκις τινὲς ἢ ἐν ὅδῷ συνεβαδίζοντες, ἢ ἐν συκλόγοις
 μετ’ ἀλλήλων διαλεγόμενοι, ἐν ποθεν ἀδρέως ἥχιστις ταῖς
 αἱοΐαις προσβάλλοι, παυσαμένοι τοῦ λογοῦ πρὸς τὸν ἥχον
 τῆς διανοίᾳ συντείνονται σχολὴν παρέχοντες διὰ παυσα-
 μένης τῆς προσηκόντης Φωνῆς, πάλιν τῶν πρὸς ἀλλήλους
 ἔχοντων λόγων ὅντως ὁ μέγας Δαβὶδ ὑποφίτευον πνεύ-
 ματι, αἵτινες μεματίκα, διεζείνη τὴν μελῳδίαν. οἷοί εἰ-
 τι μεταξὺ λέγων ἐδιδάσκετο, ὑπέχων πνευματικῶς ἐνι-
 κούντι τὴν της ψυχῆς, καὶ κατασιγαλῶν τὸ μέλος,
 ὡς ἀνὴρ πλήρης ἐγένετο νοημάτων τῶντα διεζείν πάλιν
 ἐνείρων τὴν μελῳδίαν τοῖς λόγοις. ἕξιν δέητο τὸ διαψαλμα,
 ὡς ἀνὴρ τις ὄφεως περιπλαβων ἔποι, μεταξὺ τῆς Φαλιμωδίας
 γνομένη κατὰ τα ἀδρόον ἐπιφέμματις, πρὸς ὑποδοχὴν
 τοῦ θεόθεν ἐπιφέμμενου ναϊμάτου. ἢ ὅντως μᾶλλον ἀν-
 τις ὄφεσαιτο τὸ διαψαλμα εἶναι, διδασκαλίαν παρὰ τοῦ
 πνεύματος, τῇ ψυχῇ κατὰ τὸ ἀπόρριπτον ἐγκινομένην τῆς
 περὶ τὸ νοῆμα τοῦτο προσοχῆς τὰ συνεχὴς της μελῳδίας
 επιποπτουσιν. i. e. Neque quid sit Diapsalma indisensus
 relinquere oportet. Illis igitur qui nos antecesserunt,
 vixit est, diapsalma significare vel mutationem cogi-

tationis seu consilii, vel personœ vel rei. Nos vero Patrum opinione non abjecta, non cunctabimur aliquid etiam ex nobis de vocabuli hujus significatione excogitare. Hujusmodi igitur quadam de diapsalmato existimatione imbuti sumus, cum cursu suo & ordine, psalmodia procedente, alia quædam inter prophetandum & canendum, a Spiritu Sancto illustratio, & velut additamentum quoddam cœlestis cognitionis veniret, ad utilitatem eorum qui oracula hæc recepturi erant, cohibens suam vocem David, spatum animo dabat excipiendi cognitionem cœlestium arcanorum a divina illuminatione missam, & quemadmodum nonnulli, dum vel iter simul faciunt, vel in conviviis & conventibus simul colloquuntur, si ex improviso sonus quispiam ad aures accidentat, abrupto sermone, animum & cogitationem ad extitatum strepitum convertunt, otiumque quodammodo per quietem auribus largiuntur, ut ad sonum eo intensius intendant: deinde sedato strepitu, sermones interruptos resumunt. Sic & magnus David Spiritui Sancto in oraculis promendis subserviens, quæ didicerat, per melodiam explicabat, & si quid inter loquendum sdecebat, cedens ei qui spiritualiter auditum mentis insonabat, cantumque sistens, cum divinis cogitationibus rursus repletus esset, eas pandebat acceptosque sermones melodiæ & concentibus suis adaptabat. Est igitur Diapsalma, si quis id definitione comprehendere velit, cessatione seu quiescere inter psallendum facta, ad receptionem divinitus missæ illustrationis. Vel rectius

diapsalma hoc modo quis definiverit, si dicat, esse doctrinam a Spiritu Sancto animæ in occulto inspiratam, melodia per attentionem ad hanc instructionem interrupta.

HIERONYMUS (c) vero idem enucleaturus vocabulum his utitur verbis: *Quidam diapsalma commutationem metri dixerunt esse: alii pausationem spiritus: nonnulli alterius sensus exordium: sunt qui rythmi distinctionem, & quia Psalmi tunc temporis jundia voce ad organum canebantur, cujusdam Musicæ varietatis existimant silentium.* Nobis nihil horum videtur, cum Aquila, qui verborum Hebraeorum diligentissimus explicator est, sela, hoc est diapsalma, quod ex ☉, ☐, ☑, scribitur, semper transtulerit: & inveniamus in Psalmorum quoque fine diapsalma possum, ut est illud in tertio: *Dentes peccatorum contrivisti: Domini es falus, & super populum tuum benedictio tua אלהים, i. e. super. Et in vigesimo tertio: Quis est iste rex gloriae? Dominus virtutum ipse est rex gloriae, semper. Et contra in Psalmis multorum versuum penitus non inveniatur, in tricesimo videlicet sexto, & septuagesimo septimo, & in centesimo decimo octavo; rursus nonus Psalmus distingvatur canto diapsalmatis: cum utique, sicut quibusdam videtur, diapsalma indicium silentii esse non possit. Ex quo animadvertisimus, hoc verbum superiora pariter inferioraque concludere: aut certe*

(c) In Epistola CXXXVIII. ad Marcellam.

certe docere, sempiterna esse, quæ dicta sunt: ut est illud
 in tertio: Mlti dicunt anima meæ non est salus ipsi
 in Deo suo, semper. Et rursum: Voce mea ad Do-
 minum clamiavi, & exaudiuit me de monte sancto suo,
 semper. Et in quarto: Ut quid diligitis vanitatem,
 & queritis mendacium? semper. Et alibi: Quæ di-
 citis in cordibus vestris, & in cibilibus vestris, com-
 pungimini, semper. Et in Habacuc: Deus ab austro
 veniet & Sanctus de monte Pharan, semper. Et infra:
 Furamenta tribubus, quæ locutus es, semper. Scire au-
 tem debemus, apud Hebraos in fine librorum, unum
 e tribus solere subneci, ut aut יְהוָה scribant, aut הַלֵּה,
 aut כֹּלֶשׁ, quod exprimit pacem, unde & Salomon pa-
 cificus dicitur. Igitur, ut solemus nos, completis opu-
 sculis ad distinctionem rei alterius sequentis, medium
 interponere, Explicet, aut feliciter, aut aliquid istius-
 modi: ita & Hebrei, ut, quæ scripta sunt roborentur,
 faciat solent, ut dicant amen, aut in sempiternum: aut
 scribenda commorant, ut ponant sela, aut transacta
 feliciter protestantur, pacem in ultimo subnotantes.
 Sed ut Gregoriana illa hypothesis fanatica est; ita
 hanc quoque interpretationem ineptam esse, §.
 praecedenti probavimus.

Ceterorum vero Patrum conjecturas, unicum
 THEODORETUM, quocum idem facit SVTDAS (d)
 si exeperis, referre non attinet. Suam enim, ne
 sic

(d) In Lexico sub voce *diaphanous*.

sic quidem improbabilem, his verbis assert explicationem THEODORETUS (e): ὃν δὴ χάριν μέλους ἐναλλαγην ὑπολαμβάνω σημαίνει του διαψαλματος τὴν γραφήν. i. e. Quam ob rem *cantus mutationem* significare arbitror *diapsalmatis scripturam*. Et paulo post: τὸ τοίνυν διάψαλμα δοκεῖ μοι σημάνειν, ὡς ἔστι τὴν τοῦ μέλους μεταβολήν. i. e. *Diapsalma* igitur videtur mihi innuere, ut dixi, *cantus vicisitudinem*.

§. IV.

Serioris aetatis Interpretum, quisque suo indulget ingenio: aliis rationes Etymologicas sequentibus, aliis pro compendio scriptionis vocem הַלְׁה̄ habentibus, aliis demum aliter, prout quemque conjiciendi traxerit libido, explicantibus.

Sunt qui vocabulum הַלְׁה̄ a verbo הַלְׁסָה, prostravit, derivent, indeque prostrationem sc. vocis, qualis fieri solet in pausa, significare existiment. Ponit scilicet SIMONIS (f), masculinam formam הַלְׁה̄, earundem litterarum innuere Radicem, &, exclusa 3:a Radicali, cum הַ paragogico junctam, efficere סַלְׁה̄. VRIMOET (g) autem statuit, vocem סַלְׁה̄, ad

(e) Praefat. in Pl. p. 606. &c. Edit. Schulze, Hale MDCCLXIX.

(f) In Lexico sub voce הַלְׁה̄

(g) Annott. ad dicta clasica T. II. p. 186.

ad formam אָהָר, retracto accentu permutari in סַלְהָ. Hanc vero derivationem, vel si mavis formationem, linguae genio, esse repugnantem, rite observat Illustr. MICHAELIS (h). Præterquam enim quod certum sit, סִלְיָן in pausa audire סִלְיָן, nec satis grammaticam esse permutationem τοῦ: סָהָה, in סָנָה, per se patet, vocabulum illud סַלְהָ, si origines suas traheret a טָלה, potius scribendum esse סִלְיָן. — Alii, collatione cum radice לְלָס, extulit, elevavit animum, instituta, vocem סִלְחָה, imperativum esse putant, & ad tacitam meditationem præcedentis sententiae, quasi vices sustineret interjectionis, referunt. Quam quidem sententiam HEUMAN-NUS (i) in primis defendit, licet sententia sua in medium proleta dubius haereat & tandem subjungat: *Quamobrem sic ego quidem censeo, Sela significasse aut repetitionem illius versus, cui subjungitur; aut pausam & interruptionem cantus per Musicam Instrumentalem; aut totius chorii concentum; aut universae concionis concentum cum cantoribus.* Atque eandem quoque sententiam sovet COCCEJUS (k): סַלְהָ, inquiens, loco interjectionis accipio, vel pro signo elevandi animum & expendendi,

B

quod

(h) In *Suppl. ad Lexica Hebr.*

(i) Vid. UGOLINI Thes. T. XXXII. p. 736 &c., ubi *Programma* Ejus de סַלְהָ *Hebraorum, interjectione Musica recusum* occurrit.

(k) In *Lexico Hebr.*

quod dicitur. Si vero סלה in pausa סלה, formam constitueret imperativam verbi סלה; etiam סלה similem admittere posset formam: quod tamen legibus repugnat Grammaticis. — Sunt etiam, qui verbum סלא aestimavit, hujus vocis radicem esse putent; de hac autem derivatione¹, idem valet judicium, quod de præcedentibus nuper attulimus.

Interpretum vero qui omnem ex etymo vocabulum סלה interpretandi spem deferentes, e compendio scriptionis & abbreviatione, in Scholis Rabbinorum רשי תבorth audiente, illud explicant, singulas vocis litteras, quarum quævis *initialis* habenda esset, ad totidem, Musicam spectantia, & integrum sententiam involventia, vocabula referunt: quibus vero vocabulis respondeant litteræ istæ initiales, de ea quidem re vehementer contendunt. MEIBOMIUS (1) per מעלת השר, redi sursum cantor (quo quidem pacto Italorum *Da Capo* responderet) sensum vocabuli סלה restituisse sibi videtur. Quum vero vox סלה, media in periodo, ubi repetitio antecedentium haud bene conveniret, saepe occurrat, mole sua ruit Meibomiana hypothesis. Hinc REIMIUS (m) præsumptum illud scriptionis compendium, ita supplet: סלה ל' (לנץ) (2).

PRO-

(1) Interpret. nov. Specim. I. p. 27. sq.

(m) In Miscell. Lips. T. III. p. 61. &c.

propitius esto mihi (l. nobis) o Deus! Anonymus vero apud EICHHORN (n), vocem סלה vel per: סימן לחרטונא, signum pro Praefecto chori Musici, vel per: סימן לשנית חקROL, signum ad tonum modulandum, vel per: סימן לענויות הטקלהות, signum ut alternis choris sit cantandum, vel per: סימן לכל העם, signum pro toto populo, ut concinat, e. s. p. explicari posse conjicit. Licet vero negandum non sit, morem abbreviandi, non modo in Paraphrasi Chaldaica, ubi vocem יהוה frequenti illa vocula י expressam legimus, verum etiam in Encomio Mohammedis illo: صلعم, Tsalam, τω: صلي الله عليه وسلم benedicat ei Deus & det illi pacem, respondere deprehendimus, esse usitatum, (quo quidem arguento conjecturam suam in primis superstruxisse videntur laudati Interpretes); nihil tamen absurdius cogitari poterit, quam e more Chirographorum abbreviandi in Paraphrasibus, ad similem in Originali Codice morem colligere, Arabumque consuetudines Psalmorum Auctoribus fingere proprias. Præterea nullam perspicere possumus rationem, cur unicum illud vocabulum סלה pro Compendio scriptio[n]is habendum sit, cum alia ejus generis compendia, in

(n) Allgem. Bibliothek der Bibl. Litter, P. V. p. 525.
sqq.

toto V. T. Codice, non adhibeantur, quamvis voces eadem saepissime ibi recurrent.

Sed neque magis probabilis est Ceterorum anteauctis Seculis Interpretum explicandi ratio. ABEN ESRA scilicet vocabulum סלה de nota asleverandi intelligit, quo quidem pacto Graecorum αυγη responderet, sibique assentientes habet JUNIUM & TREMELLUM (p), qui tamen pro vario locorum in Psalmis contextu, סלה vertunt per *plane*, ut ex. gr. Ps. III: 3; aliis vero locis per *maxime*, *summe*, *vehementissime*, *potentissime*, *excellentissime* &c. Sed versionem hancce vagam esse & cum contextu fapius pugnantem, vix eget notatione. — VATABLUS vero notam exclamationis & admirationis esse dicit, & pro varietate textus suam variat explicacionem. Ita Ps. III: 3. vocem סלה sic vertit: *o! gravem calamitatem meam!* Ps. XX: 4. סלה ad hunc tenorem exprimit: *quam magnum est offerre oblationem Deo gratam; magni momenti est, holocaustum a Deo probari, & preces ab eo exaudiri.* Ps. XXI: 3. סלה ita circumloquitur: *O magnam & admirabilem Dei benevolentiam erga Davidem &c.* Hanc vero expicationem eodem fere loco habendam esse ac interpretamentum æque arbitrarium, quod attulit

PA-

(o) In Biblia S:à TREMELLI & JUNII ad Ps. III: 3.

PASCHIUS (q) his verbis: *Sela est nomen Dei significativum, quod excelsam & summe celebrandam ejus T. O. M. Numinis Majestatem, in Nonnullis Psalmis, hymnis atque Canticis sacro Hebraic pro liberrima Spiritus Sancti onomatia septuagies & quater denotare atque exprimere videtur; quemque facile nobis datum confidimus.* Si enim ex arbitrio pendeat Interpretis, vim vocabulis, prout ipfi placuerit, adjicere, nescimus sane, quem non posit Sacris Vatisbus affingere sensum. Hinc neque probare possumus conjecturam, alias ingeniosam MARINI (r), qua vocem חַלְוׁ nostro *sol, la,* musico respondere affirmatur. — Testatur tamen ipsa interpretationum, quas ex innumeris jam attulimus, diversitas, in exponentia voce חַלְוׁ, mirum in modum allaborasse Interpretes.

§. V.

Recentiores vero quod attinet *Interpretes*, plerique Eorum in voce חַלְוׁ explicanda dubii hærent, eamque ob causam in versionibus suis plane omitunt. Illustr. MICHAELIS (s) ex. gr. de hac voce
ita

(p) In Dissert. Witteh. 1685 edita, quam recudi curavit UGOLINUS L. c. p. 629. &c.

(q) Quam assert NOLDIUS in Concordant: Particular, sub voce חַלְוׁ

(r) In Suppl. ad Lexica Hebr.

ita scribit: *Aliquid Musici significare videntur tres voices per סלה expressae, quid autem? de eo conjecturam facere nolo, cum memoria de his Orientalium compendiis perierit; demumque addit: Hac cum ita sint, in versione Bibliorum סלה semper omisi Syri Interpretis exemplo; Barbarum enim, ac significatu casum Sela, germanicis mediis idemtidem intextum, ridiculum mihi sonare videbatur.* — DATHIUS (t) vero illis quidem assentitur, qui סלה notam Musicam esse statuant; utrum vero sonos ipsos, vel modulationem, vel instrumenta Musica & eorum usum respexerit, definire non audet. Hinc in versione sua vocabulum סלה, quod sensum verborum nullibi afficere sibi videbatur, omittit; idemque faciunt alii recentiores Psalmorum Interpretes, ex. gr. KNAPP, MENDELSON, SEILER, cet, neque injuria. Cum enim genuina hujus vocis significatio neque ex Analogia Grammatica, nec ope cognatarum lingvarum, certo possit definiri; consultius certe videri poterit, vocabulam hancce ambiguam, de qua tantopere disputatione Interpretes & ejus nulla, aut exigua saltem in vero Psalmographi sensu eruendo videtur esse vis, in versione praeterire, quam incerta reddere paraphrasi. Si tamen, quid de notione των סלה veri nobis videatur simillimum, libere profiteamur, non possumus, quin HERDERIANAM (u) hypothesin, qua סלה

(f) In Notis ad Glasii Philol. Sam., p. 554.

(t) Cfr Ejus Geist d. Hebr. Poësi, P. II. p. 576. &c.

נַּלְׁס mutationem toni indicare statuitur, amplectamur: idque eam in primis ob causam, quod in carminibus affectu plenis, & ubi affectus se immutant, crebro occurrat, in Psalmis vero Dogmaticis, ubi affectus vehementior desideratur, non inveniatur. Notum enim eum sit, Orientales Monotoniam in deliciis habere, ubi autem affectus animi requirit, numerum musicalem atque modum immutare; veri omnino videtur simillimum, Musicam Hebraeorum eodem modo fuisse comparatam, eosdemque toni immutandi gratia, vocem נַּלְׁס adhibuisse. Neque dubitamus, quin idem cogitarint LXX Interpretes, qui voce διαψαλμα utuntur. Quicquid enim dicant Interpretes, probabiliorem vocis διαψαλματος vix ac ne vix quidem dabunt interpretationem, quam est SUIDÆ & THEODORETI, qui per μελους exprimunt εναλλαγην. (u)

(u) Eodem modo explicat HESYCHIUS in Lexico sub hac voce.



